

turi, jure hereditario in perpetuum. Ita namque dono et concedo vobis eam, cum terris, vineis, et montibus, piscariis ac fontibus, defesis, pratis, ac pascuis, ingressibus et regressibus, et cum terminis et directuris eidem ville pertinentibus, ubicumque fuerint, ut serviant predictae ecclesie Najarensi, ad honorem, et beate genitricis dei Marie. Et hoc facio pro remedio et salute anime mee, et patris mei Regis Sancii, et matris mee venerabilis Regine domne Blanche, bone memorie, que in predicta ecclesia beate Marie de Naiara sepulta est. et ut memoria eorum semper in unoquoque anno in die anniversarii eorum habeatur, et ibi perpetuo celebretur. Si quis ex meo vel alieno genere hoc meum factum, et donationem, infringere voluerit: sit maledictus et excommunicatus, et pectet Regie parti Mille Morabotinos, et hoc meum factum semper maneat firmum. Facta carta Sub ERA MCCXIII apud Belforad, XII Kalendas Augusti, die lunis. Et ego Rex Aldefonsus qui hanc cartam fieri jussi, manu propria roboro, et confirmo. Regnante me Rege Aldefonso, in Toletis, in extremadura, in castella, in Naiara, in Asturiis. *Subscriptiones: Primera columna*: Celebrunus toletane sedis archiepiscopus hispaniarum primas confirmat. Rodericus Kalagorritanus episcopus conf. Petrus Burgensis episcopus conf. Raimundus Palentinus episcopus conf. Sancius Obulensis episcopus conf. Bernardus Oxomensis episcopus conf. Joscelinus seguntinus episcopus conf. Comes Nunnio conf. Comes Petrus conf. Comes Gonzalvus roiz conf. Comes Ferrandus conf. Comes Gomez gundizalvus conf. Comes Gunzalvus de maranun conf. Petrus roiz senior in Naiara conf. Tellus petris conf. *Segunda columna*: Didagus seminiz conf. Petrus de Orazori tenens soriam conf. Gomez guarciez conf. Petrus guarciez conf. Ordonius guarciez conf. Petrus seminez [*corregida e por i*] conf. Gundizalvus roiz de Zagra conf. Gundizalvus roiz el duc conf. Gundizalvus copelin conf. Lupus diez de mena conf. Didago boso conf. Petrus goterrez conf.

*Signatura de rueda entre las dos columnas y en el interior* SIGNUM REGIS ALDEFONSI. *Alrededor y fuera*: Comes Gundissalvu de marannon Alferiz Regis conf. Rodericus gutierrez maiordomus curie Regis conf. *Debajo de la signatura*: Raimundus cancellarius regis hoc signum fecit:

#### D. XV

*Crismón*. IN nomine domini nostri ihesu xristi amen. Inter cetera pietatis opera precipuum est Regibus, et maximum

viros religiosos et honestos diligere, honorare, et donis ditare; muneribus regalibus, presentim eos qui muro claustrali circumquaque sponte vallati, ieiuniis et orationibus assiduis, die noctuque deo strenue famulantur pervigiles. Eapropter Ego Aldefonsus dei gratia Rex Toleti et Castelle una cum uxore mea Alienor Regina, libenti animo, et voluntate spontanea, dono, et concedo deo et sancte Marie de Nazera, et ecclesie Cluniacensi, et vobis domno Guidoni Nazarensi priori et universis in eodem loco de Nazera nunc et in perpetuum monachis manentibus; villam meam que vocatur Valorcanos, que est in burova, inter Trapianam et quintanellam de sancio garsie, et inter sanctum Emilianum de equola de artable, totam ex integro, sicut eam habeo vel habere debeam, scilicet cum omnibus suis terminis, et cum omnibus hereditatibus sibi pertinentibus, cum collaciis et solaribus, populatis et non populatis, cum montibus et fontibus, cum aquis, rivis, et molendinis, et de eorum locis, cum ortis et piscariis, cum pratis et pascuis, cum ferris et vineis, cultis et incultis, cum arboribus fructuosis et infructuosis, cum ingressibus et egressibus, cum castro ejusdem, et cum omnibus directuriis et pertinentis suis, jure hereditario libere et quiete in perpetuum habendam, at ab omni regali servitio, alioque gravamine emancipata, sine fine possidendam, faciendo de ea quicquid vestre vel vestrorum successorum complacuerit voluntati. Mando preterea et firmiter defendo, ut nullus merinus, nullus saion, nullusque alius homo in prefatam villam aut infra terminos eius, per vim intrare, vel inde aliquid violenter extrahere de cetero presumant. Hanc itaque prenominatam villam dono et concedo deo et sancte Marie de Nazera, et vobis domno Guidoni Priori ecclesie ejusdem, et omnibus monachis ibidem deo servientibus, presentibus et futuris, pro villa nostra Torrezella de cambero quam accepi a vobis in concambium, reservatis vobis ejus ville de torrezella ecclesiis, et retentis cum omni jure earundem ecclesiarum prout eas prius habebatis, liberas; et possideatis. Si quis vero hujus mee donationis et concambii paginam, tam ex meo quam ex aliorum genere; rumpere, diminuere, vel inquietare in aliquo temptaverit; ira dei omnipotentis et omnium sanctorum plenarie incurrat, et cum juda traditore domini penas patiatur eternas, et insuper regie potestati Mille Aureos pectet in cauto, et vobis vel vocem vestram pulsanti; dampnum quod intulit, dupplatum persolvat, et hec mea donatio, et hoc meum concambium; firmum et irrevocabile perseveret in perpetuum. Facta carta apud villam novam de Arlenzon. ERA. M.<sup>a</sup> CC.<sup>a</sup>

XVII.<sup>a</sup>, tertio decimo kalendas mai. Et ego Rex Aldefonsus Regnans in Toteto, in castella, hanc cartam quam fieri mandavi, manu mea roboro et confirmo. Anno tertio ex quo cancam cepi, quo anno celebratum est sollempore concilium ab Alexandro papa in urbe Roma. Ad maiorem itaque tenorem atque certitudinem, eandem cartam sigillo meo proprio feci muniri. *Subscripciones: A dos columnas:* Celebrunus Toletanus archiepiscopus, et hispaniarum primas dictus: confirmat. *Primera columna:* Petrus Burgensis episcopus conf. Raimundus epalensis episcopus conf. R[odericus] calagurrensis episcopus conf. Comes Petrus conf. Comes Gomez conf. Comes Ferrandus conf. *Segunda columna:* Petrus roderici de azacra conf, Petrus roderici filius comitis roderici conf. Petrus de arazuri conf. Didagus semenez conf. Alvarus roiz de marfili conf. Lop diez merinus in castella conf. *Signatura de rueda entre las dos columnas y en el interior:* SIGNUM ALDEFONSI REGIS CASTELLE. *Alrededor y fuera:* Rodericus gonterriz majordomus curie Regis Aldefonsi conf. Gomez garsie de roda Alferiz Regis conf. *Final:* Magister Johannes Regis notarius, Petro de cardona existente Cancellario scripsit.

#### D. XVI

*Crismón.* IN Xristi nomine amen. Quoniam Regie clementia dignitatis ad hoc debet sollicite semper intendere: ut omnipotenti deo in cuius manu corda regum esse noscuntur, per op[er]a misericordie valeat sine intermissione placere, et ei studeat pia intentione servire: sine quo nec regnum potest habere terrenum: nec acquirere sempiternum. Idcirco ego Rex Sancius dei gratia domni Aldefonsi illustris imperatoris filius, facio cartam donationis, et textum scripture firmitatis, et confirmationes: deo et beate Marie de Naiara, et tibi Raimundo ejusdem ecclesie instanti priori, et omnibus successoribus tuis, et monachis ibi deo et beate Marie servientibus, de villa que dicitur genestares, que est juxta villam nostram que vocatur torrecella de cambero. Ut ab hac die habeatis predictam villam et possideatis vos et successores vestri tam presentes quam futuri, jure hereditario in perpetuum. Ita namque do et concedo vobis eam, cum terris, vineis, et montibus, rivis, piscariis, ac fontibus, defesis, pratis, et pascuis, ingressibus et regressibus, et cum terminis et directuris eidem ville pertinentibus, ubicumque fuerint, ut serviant ecclesie Najarensi, ad honorem dei et beate genitricis dei Marie. Et hoc facio pro remedio anime mee, et mulieris mee venerabilis